

re, & falsas expositiones refutare poterit, impediens eò pacto, ne erroneis explicationibus, tanquam genuinis, assensum præbeamus, &, si negatum est in veros sensus, saltem in veritates, quod negatum non est, deducens; in quò fanè minimum est periculi, ut docet Augustinus de Doctrin. Christian. lib. 3. cap. 27. hòc modò. *Quando ex eisdem Scripturæ verbis non unum aliquid, sed duo vel plura sentiuntur: etiamsi latet, quid senserit ille, qui scripserit; nihil periculi est, si quodlibet eorum congruere veritati ex aliis locis Sanctarum Scripturarum doceri potest, &c.* Et de Civitate Dei lib. 11. cap. 19. *Sive cum multa tractantur, ad id quoque perveniatur, quod sensit ille qui scripsit, sive id lateat: sed ex occasione tractandæ profundæ obscuritatis alia quædam vera dicantur.*

8. Sed agè, videamus, an non hos nostro Interpreti positos limites per-rumpere, ac eum tam priori, quàm posteriori muneris sui parti dignè debi-tèque satisfacere posse, ostendere queamus. Hoc autem facilè conficiemus, si modò probaverimus, omnes alicujus loci veritates, quæ Lectori occur-runt, aut occurrere possunt, etiam esse veros sensus: Tum enim, qui unam tantùm eruerit veritatem, etiam verum eruerit sensum, & quò quis plures veritates, eò etiam plures sensus; ac præstantior erit interpres. Ut autem porrò pateat, omnes Scripturæ veritates esse etiam veros sensus, duo imprimis circa Librorum sacrorum authorem Deum apprimè veniunt consideran-da. Primum est, illum esse Omniscium, ac proinde omnes orationum à se pro-latarum tam veras, quàm falsas significationes optimè novisse, illasque audi-toribus lectoribusque occurrere posse, non tantùm prænovisse, sed etiam oc-cursuras prævidisse, &, cùm nihil non præter illius providentiam accidat, ut veræ occurrerent, providisse; quemadmodum scribit Augustinus lib. 3. de Doct. Christ. cap. 27. his verbis. *Ille quippe Author in eisdem verbis, quæ in-telligere volumus, & ipsam sententiam forsitan vidit, & certè Dei Spiritus, qui per eum hæc operatus est, etiam ipsam occursuram lectori vel auditori, sine dubi-tatione prævidit, imò, ut occurreret, quia & ipsa est veritate subnixæ, providit.* Alterum est illum esse Veracem, adeoque nec fallere nec falli posse, ac ideo nunquam per suos ministros quicquam ad decipiendos, hoc est, in alium sen-sum, quàm quem verbis significare voluit, seducendos; nedum dubios, quemnam plurium occurrentium intenderit, reddendos Lectores vel audi-tores, aut voce protulisse, aut literis consignari curasse. Quod idem etiam videtur velle Polanus Syntagm: Theolog. lib. 1. cap. 45. quæst. 2. cùm ait. *Nulla vox, ac proinde nulla enunciatio à Deo prolata, est ambigua ab ipsò, seu quod ad ipsum attinet. Deus enim non loquitur ambiguè, quasi volens studiò homi-nes incertos & dubios reddere, aut quasi volens verbi sui sensum dubium & incer-tum esse. In ambiguitatis vitium Spiritus S. ne semel quidem incidit. Qui os & in-*